



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 7. Objectio quaedam Authoris Appendici, non ferenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

*Ser. de trip.
miser.*

randis desideriiis recedunt, & non nisi in brachio forti, ut ait D. Bernardus, susceptum semel peccati jugum abjiciunt, & tamen ut in suscepto proposito perseverent justi, opus est in eos *magnis precibus implorata gratia descendat*. Quantò magis hæc orationis instantia peccatoribus necessaria est, ut à peccatis resurgant & cupiditatum suarum compedes disrumpentes debitè se ad Deum convertant?

§. VII.

Obiectio quædam Authoris Appendicis non ferenda.

Sed objicit num. 246. Appendicis Auctor: Et ad has preces Dei gratiâ opus esse, ac per hoc alias preces pro ista gratia adhibendas, & sic procedi in infinitum.

Miror si hæc seriò opponat: quid enim? an ut vitiosus in infinitum vite-
tur progressus gratiam Dei putat non esse à nobis implorandam? sed jam contradicit citatis Pontificibus & Conciliis, imo universæ Catholicæ Ecclesiæ indies tam sæpè deprecanti, in tentationem non induci. Quin & ipsi sacrae Scripturæ toties
oratio

orationem præcipienti, aut dicit ex innatis naturæ viribus volendo aut orando gratiam Dei nos consequi; ast hic Semipelagianorum est error quem damnans

2. Arausicana Synodus: *Si quis, ait, invocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit Isaia Propheta vel Apostolo Isaia 65. idem dicenti: INVENTUS SUM A NON* Can. 3.
Rom. 10.

QUÆRENTIBUS ME, PALAM APPARUI HIS QUI ME NON INTERROGABANT: Utrumquè proindè inconcussè tenendum est, & gratiam esse implorandam, & non implorari nisi ex gratia. *Hujus gratia adjutorium, ait S. Fulgentius, semper est nobis à Deo poscendum, sed ne ipsum, quod poscimus, nostris viribus assignemus: neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus nisi divinitus fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ: ipsa namque incipit infundi ut incipiat posci; ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur.* Epist. 6. c. 7.

Ut ergo, ait idem S. Antistes, *gratia Dei cognoscatur & diligatur, desideretur ac postuletur, prius donatur homini non cognoscenti, non diligenti, non desideranti neque postulanti.* Lib. 1. de verit. pred. cap. 16.
 Ut meritò, quia veraciter, dixerit Gregorius: *Nemo, ut divina illum gratia subsequatur,* Lib. 33. mo. cap. 25.

D

quatur,

quatur, prius aliquid contulit Deo: nam si nos Deum benè operando prævenimus, ubi est quod Propheta ait: MISERICORDIA EJUS PRÆVENIET ME? Si quid nos bonæ operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur: ubi est quod Apostolus dicit: GRATIA SALVATI ESTIS PER FIDEM, ET HOC NON EX VOBIS, SED DEI DONUM EST, NON EX OPERIBUS. Itaque omnino gratis, id est ante omne meritum, ante omnem bonæ voluntatis motum, prorsus immeritis primitus gratiam suam Deus donat, sed tamen non quidquid ad plenitudinem ejus pertinet, simul largitur: ut scilicet homo jam aliquâ Dei gratiâ donatus, per ipsam petendo, quærendo atque pulsando, quod adhuc de illa sibi deest, & jam suo

*Lib. 2. de
voc. gent.
cap. 8.*

labore & annitentiâ consequatur. *Quamvis enim omnia bona, ait S. Prosper, dona sint Dei, & à Deo tamen quedam etiam non petita tribuuntur, ut per ipsa, quæ accepta sunt, ea, quæ nondum sunt data, quærantur.*

Isto modo intelligenda est peccatoris conversio. Voluntas Dei prævenit voluntatem ejus, ut à se aversum revocet ad pænitentiam, non solum monitione aliquâ exterius, sed secretâ operatione interius, quâ fit ut sibi peccator displicere incipiat & errati sui iniquitatem agnosce-

re,

P E C C A T O R I S. 51

re, atque odisse, tum deindè converti desiderat, & à peccatis suis resipiscere. Hæc divinæ gratiæ operatio est, inchoans in illo exordium bonæ voluntatis, præveniens conatum ejus atque orationem: qui nunc benè conatur aut orat, jam habet aliquid bonæ voluntatis, & hoc ex prima gratia, quæ ei data est non conanti aut oranti ut inciperet esse bonæ voluntatis, qui fuerat malæ. Sed hac perceptâ jam Deo adjuvante & cooperante conandum ei est, laborandum est, orandum est, ut in bona voluntate proficere possit, quousque perveniat ad eam mensuram, quæ ad avertendum animum à peccatis & debitè convertendum ad Deum sufficiat.

Frustra igitur progressus ille in infinitum obtenditur: nam quamvis labore & oratione conversionis donum peccatori comparetur, ipsi tamen non laboranti & non oranti data est gratia, ut laborare & orare inciperet.

